

ca summus Præfctus cum cataphractis , leviorisque armaturæ equitibus ad Insubrum fines adequitaret , a Senatu petiissent , ex foedere concessum est . Triultio , ut suas cohortes in Cenomanos duceret , injunctum ; Paulo Nannio Bergomi Præfecto Legati munere delato , ut statim se ei adjungeret , mandatum . Dum hæc agerentur , Scudus , cui , quæ occulto adversus Regem pararentur , innotuerant , Regium lepidi Galliæ Cifalpiæ urbem per insidias aggredi statuit , inde rei patrandæ opportunitatem , & occasionem nactus , quod quamplures ibi Insubrum extorres , quos Pontifex a suis finibus arcere tenebatur , convenissent . Itaque ad viii. kal. julii summo mane cum quadringentis levioris armaturæ equitibus Regium proficiscitur . Illum Federicus Bozzolus , ejus nominis oppidi in Mantuanorum finibus Regulus , cum mille peditibus subsequitur . Eo cum venisset , Franciscum Guicciardinum jam ea de re certiore factum ad colloquium accersit , qui omnibus , quæ ad tutandam urbem spectarent , dispositis , ulro extra portas adest : ibi dum mutuo conqueruntur ; Scudus , quod exules adversus pactiones intra mœnia recipiantur ; Guicciardinus , quod cum armis Scudus fines pontificios esset ingressus , forte porta quædam ad excipienda frumenta disclusa , Galli irrumpere conantur : verum statim pulsæ , clausisque portis , tumultu excitato , displosis repente nonnullis tormentis , funduntur . Scudus in summa trepidatione ab urbis Præfecto illæsus dimittitur . His ad Pontificem perlatis , graviter de Rege conqueritur : nil hujusmodi meritum per summam injuriam bello peti , dolo suas turbes tentari ; atque iis de rebus cum Oratoribus Principum acerbe admodum , ac graviter agit ; multa in Scudum , quamplurima in Regem exaggerat , qui cum occasionem ab ejus amicitia discedendi diu quæsiverit , nulla inventa , aperte bellum moliatur . Reipublicæ Oratore accersito , quæ Regii acta sint , exponit ; ignorare , cur armis illum laceſſere sibi Rex in animum induxit ; statutum sibi , ac firmum esse , quacunque ratione Ecclesiæ jura , ac Pontificiam dignitatem sustinere : hoc uno vehementer angi , quod nondum coalitæ Italæ cicatrices denuo refricandæ sint , iisque certandum armis , quibus Christiani nominis hostes pessum iri oporteret . Collegio Cardinalium vocato , in Regem acriter invehitur , Cæſaris pie-

1521

*Paulus
Nannius
Legatus in
castris.*